sint assignari quatuor menisci æquales, quid impedit, quo minus totus circulus ad quadrati figuram reduci possit? ita quidem ratiocinabatur Hippocrates, nunquam tamen ostendere poterat, totam superficiem circuli in meniscos certos diuidi posse, qui essēt æquales alicui quadrato habenti æqualem aream cum circulo. Deceptus igitur fuit Hippocrates, quod existimaret, si vnus meniscus posset triangulo æquari, atq; hac ratione ad quadratam figuram reduci, quod etiã omnis meniscus hanc haberet facultatem: quemadmodum Simplicius indicat hisce verbis: καί ἐστι μὲν εὐφυὴς ἡ ἐπιχείρησις: τὸ δὲ ψευδογράφημα γέγονε, παρὰ τὸ μὴ καθόλου δεδειγμένον ὡς καθόλου λαβεῖν. οὐ γὰρ ἐδείχθη πᾶς μηνίσκος τετραγωνιζόμενος, ἀλλ' ὁ περὶ τὴν τοῦ τετραγώνου πλευράν, τοῦ εἰς τὸν κύκλον ἐγγραφομένου. Ad hæc si maxime concedamus, omni menisco posse æquale triangulum constitui, inde tamen non sequitur, aream circuli cum superficie quadrati accurate exæquari, nisi prius ostendatur, omni circulo posse dari æqualem meniscum: sed hoc nunquã probabitur. Eadem ratio est quadrationis per segmenta: nisi enim ostendi possit, omni segmento circuli dari ęquale triangulum, nullo modo monstrabitur, aream circularem per certa segmenta distributam, æqualem fieri alicui quadrato. Quæ fuerit ratio à Brysone obseruata in quadrando circulo, exponunt interpretes ad contextum 67 libri primi posteriorum Analyticorum: Bryso enim quadratum dato circulo partim in-